



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici
Telemachus**

Fénelon, François de Salignac de La Mothe

Francofurti, 1744

VD18 11007532

Lib. VIII. Argumentum. Telemachus cum Mentore ab Adoamo Narbalis fratre in navem receptus , agnitúsque. Mors Pygmalionis & Astarbææ supplicium. Baleazar admotus regno Tyrriorum. Convivium, Achitoæ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

rum beneficium, qui te, mi pater, adiutorem laborum meorum constituerunt! Æquum erat, iustumque, me privari tuô auxiliô, mihiq̄ue & voluntati meæ relinqui. Iam non mare, non venti, non procellæ mihi terribiles sunt. Cupiditates solas perhorresco. Amor præ universis pelagi malis metuendus.

TELEMACHUS.

LIBER VIII.

IN Epirum Tyrri emiserant, quæ in alto morabatur navis, futurum adnatantibus auxilium. Vectores Telemachum, cùm rediret ex Ægypto, conspexerant; sed tum medio fluctuantem pelago non agnoscebant. Ceterùm ubi primùm ab iis exaudiri Mentor potuit, exerta suprâ aquas cervice, ultimâque facultate clamandi: o piissimî & omnium gentium evergetæ! o Phœnices! vitam quam à vobis sperant, duobus miseris date. Per, quos colitis, Deos in navem vestram utrumque admittite, sequemur, quocunque illa terrarum tendet. Eia verò! natantibus acclamabat, qui moderabatur navi: ambo admittemini. Non ignoramus, quid expectare à nobis peregrina & (ut viderur) tanta miseria debeat. Protinûsque recipiuntur à nautis.

Illati in navem mox omnibus artibus obtorpuere, impedito scilicet spiritu, quem diuturnus labor obluentibus pelago concitaverat. Recuperabant autem paulatim vigorem suum. Vestes datæ sunt; quippe, quibûs ipsi erant induiti, im-

missis

missis passim aquis faciebant molestiam. Restau-
rato vocis usu, circumfistere eos Tyrii magno
ardore resciscendi, quæ utrique accidissent. Inter-
rogabantur autem à præfecto sequentia: quomo-
do illati essent in hanc, ex qua huc enatâssent, in-
sulam? famam esse, à Dea, quæ incoleret, navi-
gantes repelli. Formidandis præterea locum faxis
cingi, illudentibus imperus infanientis pelagi, &
appropinquantes daturis in naufragium.

Tum Mentor: Tempestas, inquit, eò nos com-
pulsit. Oriundi è Græcia sumus, nati in Ithaca. Epi-
ro hæc iungitur, quò vobis iter; quod si inter-
pellare vobis non libet, iactis ad Ithacam, præter
quam cursus est, anchoris: beneficium tamen erit,
in Epirum vehi: inde brevis ad nostros via. Erunt
inter Epirotas, quorum amicitia nos demum pro-
movebit in patriam. Si recuperabimus, quod nobis
in orbe charissimum, istud solatii pariter atque
animos nostros vobis duntaxat sumus debitori.

Hæc solus Mentor. Nec quidquam interfere-
bat Telemachus, ex iis nimirum, quæ apud Deam
peccaverat, ingens sapientiæ incrementum ade-
ptus. Diffidebat sibi, erudiente experientia, num-
quam debere non agi, quæ ipsi Mentor suafisset;
& si voce non licuit, oculis animum eius diligen-
ter explorabat.

Telemachum pertinaciter intuebatur, qui im-
perabat navi; cœpitque ingredi in opinionem,
quem iam aliquando vidisset, esse. Impeditus ita-
que non satis explicata recordatione: sine, inquit,
intelligam, subeâtne, me olim visum tibi, quem-
admodum me puto meminisse, te visum mihi.
Speciem tuam novi; & ipsa intuentem me protin-
nus

nus admonuit, non alienam esse; quamquam initia noscendi tui ignorem. Fieri potest, ut innotescant mihi, tu si velis meminisse.

Leviter turbatus iuvenis, ac subeunte gaudio: Et ego, inquit, perinde atque tu me viso, ex contemplatione tui moveor. Vidi, novi te. Tyrine, dubito, an in Ægypto occurristi? Ad hoc Phœnix non absimilis homini, qui experrectus manè dilapsam, cum sopore nocturnam speciem paulatim recuperat animò, fervensque repentino sermone: Telemachum (exclamat) aspicio, Telemachum, quem Narbal, cum reditum est ex Ægypto iunxit sibi. Ecce me! frater eius ego, de quo scilicet ille multatibi. Post Ægypti expeditionem iussus proficisci trans totum mare & ad Herculis columnas sitam Baticam, vos unà reliqui. Unde mirum ne sit, ob penè nullam tui videndi copiam arduum mihi fuisse, te ex primis obtutibus cognoscere.

Ergò, ut intelligo (reponit Telemachus) Adoamus tu es; cuius tunc quidem speciem, minùs diuturno contuitu leviter transmissam in animum meum, Narbalis de te verba altiùs impressere? O! fanè felicem & fortunatum me, quòd aspicio dicturum de homine, cuius memoriam, dum vivam, summa cum benevolentia tenebo. Hæretne Tyri, & continuò? quoties in eum expromit se Pygmalionis suspiciosa crudelitas? Interloquebatur Adoamus interroganti: Fortuna me hercle viro te commisit, Telemache, qui, quas ipsum ingenium possit, curas in rebus tuis defiget. Ithaca te priùs, quàm me Epirus accipiet. Neque me fratris obsequia vincant in demerendo Telemacho. Advertit inter hæc verba, tempestatem-

tan-

tandem idoneam se præbere. Ergo anchoras tolli, vela dari iubet, nauasque ad opus suum incumbere. Ipse Telemachum cum Mentore abducit in colloquium. Conversisque in iuvenem oculis: Novitati, quæ suspendit te, inquit, nunc fiet fati. Vixit Pygmalion. Dii, quorum æterna iustitia, hoc flagello liberarunt orbem. Diffidenti omnibus fidebat nemo. Probis sufficiebant gemitus, & cauta, ne crudelitate præverterentur, fuga; nocere incumbenti in inferendas noxas, sustinuerunt numquam. Mali contra semper periclitari suam vitam credidère, nisi ipsum exuissent vita. Dies singuli singulis etiam civibus afferebant metum in suspicionem eius incidendi. Neque ab hac cuiquam minus esse securo licuit, quàm qui agebant excubias. Quippe cum salvus esse non posset istis nolentibus, deterioris fidei habebantur; dignique, quos vel umbra mactaret suspicionis regis salutem. Ergo dum per vim salutem quærit, perdidit. Nam quibus tuendam vitam crediderat, ne rege tam suspicioso perderent suam, usque & usque metuebant; rebus numquam non trepidis & iniquissimis usuri, nisi sanguinolentas barbari hominis suspensiones violenta morte eius prævertissent.

Prima occidendi regis consilia Astarbæa suscepit, monstrum sui sexus, frequenti sermone aliorum te præsentem usurpatum. Ioazar quidam erat ætatis flore, & pecuniâ inter Tyrios princeps. Hunc mirificè amare fœmina cœperat, sperare etiam ausa, sua ipsius ope imperaturum. Ad eum finem persuadet regi, maiorem ex iis, quos ipse genuisset, intolerabili regnandi desiderio scelestum consilium iniisse. Nec defuere, qui corruptis
testi-

testimoniis hunc communirent dolum. Improbissimè igitur circumscripto patre iugulatur innoxius; frater eius, cui Baleazari nomen, in Samon mittitur interpositâ causâ discendi mores, disciplinâsque Græcorum; re autem vera tyrannum Astarbæa monuit, amovendum etiam minorem ex filiis, ne, quod metuendum, cum malevolis transfret in fœdus. Ceterùm qui moderabantur infausti exulis iter, sollicitati mulieris immani fallaciâ, ut primùm à littore discessum est, ex composito captata occasione faciebant naufragium; extrusôque in altum puero, adnatantes peregrinis navibus, quæ expectabant, ut exciperent, evasere.

Porro turpissimis amoribus ita vacabat hæc femina, ut id nemo præter Pygmalionem ignoraret; tantâque erat tamque cæca regis in Astarbæam fiducia, ut etiam crederet, ne particulam animi aliis atque sibi ab illa impendi. Simul autem rex occidendi Ioazaris causas alias atque alias conabatur exculpere, acuate scilicet avaritia, & ad eripiendas illi, in quo Astarbæa deperibat, opes omnino anhelante.

At dum Pygmalion omnibus derogat fidem, dum militat Veneri, dum alienas opes esurit: infidiæ in caput eius ab Astarbæa maturantur. Verita namque, ne rivalem sibi esse comperisset rex; satisque gnara, vel unas divitias Ioazari fatales esse posse tyranno & avaro & æmulo: crudelitatis sceleritias quàm maxima celeritate censuit præveniendas. Quamquam autem aulæ principes cerneret capiti regis imminere, quotidianæ etiam novæque coniurantium voces auribus eius obstre-

K

perent:

perent: ne tamen consilia sua committeret forsan prodituro, haud leviter metuebat. Optimum denique ex presentibus visum, venenô scelus absolvere.

Consueverat rex solus cum ipsa capere cibum, sua ipsius manu, diffidente alienis tyrannide, paratum. Tenebat secretissimos palatii sui angulos, ut & fas esset liberiùs diffidere, & apta esui reddere, quibûs libebat vesci. Neque (quod illustres amant) sustinebat exquisitiùs victitare; sed averfabatur, quæ ipse nesciebat sibi conficere, obsonia. Itaque non admittebat edulium cum conditis intinctibus seu iusculis, non vina, non panes, non salem, non lac; nec quos olivis exprimimus, succos, nec quibus aliàs cibariis nostra tempora assueverunt; sed aut sola poma, quæ in horto suo suis ipse manibus avulserat, aut legumina, quorum ipse sementem commiserat terræ; indèque collecta mensæ faciebat idonea; siti nihil solitus adhibere præter, quæ hausta ab ipso esset, frigidam ex puteo, concluso ea parte regiæ, quam ipse nunquam à se dimissa clave intrabat unus. Et quamquam videbatur fidelius cum Astarbæa agere, ab eâ tamen sibi diligenter cavebat. Illa cibos, illa potum gustu iuebatur præire regi; tum ne venena fumeret solus biberetve, tum ne speraret illa, superfuturam extincto amasio. Ceterùm anus erat, muliebris impietatis longè, quàm Astarbæa, callidior, eiùsque amoribus conscia. Ab hac accepto sumptoque, quod esu ac potu lethalibus resisteret, ad miscenda regi venena se fidenter scortum accinxit. Et en totius strophæ periodum!

Simul

Simul atque epulis daturi erant initium, vetula, de qua modò dixi, ianuam quandam vicino tumultu & repente turbat. Protinùsque rex ad deterima credenda pronus ex æterno insidiarum metu, perculsùsque improvìso strepitu, ad ianuam advolat, vectium fidem explorat. Aufert se anus. Et ille nec compos sui & quid ex isto suspicaretur motu, incertus, prodire foras, ut certiora cognosceret, non audebat. Astarbæa confirmare patientem, blandiri; cogere, ut caperet cibum. Scilicet dum decursat ad impulsas fores rex, ipsa venenum plano repandòque poculo eius immisit. Ex quo iussa de more præire haustum, spe medicaminis, quod obiecerat toxico, constantissimo vultu bibit. At dum idem agit Pygmalion, aliquanto post animo linqui cœpit. Satis credebat Astarbæa, discrimen capiti suo nasci posse rege vel temerè suspicante. Ergo involare ambabùs manibùs vestes crinèsque, dilacerare, vellere, eiulare lugubrem in modum; moribundum amplecti, stringere etiam cum perseverantia, ac inundare lacrimis, quas quidem aliàs nullo negotio muliebris astutia evocare didicerat. Iàmque exhaustis viribùs videbat extremos quasi halitus eniti. Sed neque tum satis secura, ne forte redeunte animo ipsam non iuberet necari, blandimentis intimæ amicitiae incredibili furore commutatis, exspirantem occupat, interstrictisque faucibus iugulatum è numero mortalium exturbat. Nec mora: annulum & diadema extincto detrahit, utrumque Ioazari, quem intrò admittebat, tradit. Enim verò persuaserat sibi, partium suarum mancipia omnia itura in illud, quod statuisset ipsa, amasiùmque hunc suum pro-

K 2

clama-

clamatum iri regem. At vero iidem ipsi, quorum eminentissimum erat in demerenda sibi femina studium, vile nec in mercede continens hominum genus, non poterant non venali candore decipere. Frangebantur etiam labantes hi animi eorum potentiâ, quorum Astarbæa inimicitiam exceperat. Imò ipsa ferocitas, ipsâque simulatio sanguinolentæ & impiæ Astarbæa terrebat præ aliis usque adeò, ut eam salvam esse etiam singuli nollent, ne sua ipsorum salus periclitaretur.

Turbatur interea immani horrore regia: personant tota urbe strepitus, miserabili voce regem vixisse clamitantium. Alii mirum in modum commoveri, alii ad arma discurrere; omnes autem, quamquam novo ex nuntio insolenter læti, futurorum anxia expectatione videbantur suspendi. Fama quippe tam insolitæ rei in alias atque alias transfusa aures strenuissimè tota, quamquam amplissima urbe dissipabatur. Nèque tamen videre erat ex tanta hominum frequentia, qui vel lugeret interfectum; tantum abest, ut desiderium eius existeret, ex cuius occasu populo libertas, relexatio diuturnæ miseriæ dabatur.

At Narbal, ut est vir ex asse bonus, tam crudeli facto vehementer movebatur, deslebatque Pygmalionis sortem; quippe qui sibi ipse imposuerat, tam cum impiæ Astarbæa totum immergebat, quàm cum neglectò, quod reges populis debent, patris officiò portentosæ licentiam tyrannidis fectabatur. Ceterùm Narbal communi saluti omnem commodans operam, omisâ morâ, omnes bonos cives ut Astarbæa consiliis occurrerent pactò cogit,

git. Et hercle crudele imperium, quo cæso rege exierant, aggravatura fuisset superstes amafia.

Constabat fratri, Baleazarem ex undis, in quas expulsus fuerat, superasse. Quique aliud Astarbææ asseverârunt, periisse eum credebant magis, quàm sciebant. Námque per noctem elapsum natatû, Cretæ mercatores, commoti periculô eius, attraxère in navem. Cúmque & sibi exitium putaret fuisse destinatum, & patrem æmulum perinde ac Astarbææ fraudes metueret, dubitabat, in genitoris terras reverti.

Cretenses puerum in ora Syrii maris exposuerant. Ubi mutatis vestibûs diu oberrans eò devenit inopiæ, ut vitam agendis pecoribus sustentaret. Contigit autem, ut demum se via aperiret, Narbalem, ubi esset, edocendi. Satis quippe Baleazar vel tum intelligebat, arcana sua & ipsam adeò vitam viro constanter probo numquam malè credi. Et, frater meus quidem, etsi iniquissimè multatus à rege, numquam aut eius filium odio, aut nulli curæ salutem filii habuit. Illud tamen, quàm cetera, longè diligentius exulem admonebat, ne vel semel, quæ genitori deberentur, negligeret; néve toleraret, quod præsens fortuna destinasset, iniquô animô.

Tum quidem Baleazar ad fratrem ita scripsit: si ad te venire suades, annulum ex auro mitte. Hoc signum mihi esto festinandi reditus. Ceterùm vivo patre revocare Baleazarem, non videbatur Narbali ex. præsentibus optimum. Et hercle aliô consiliô neutrius capiti abfuisset gravissimum discrimen; tanti operis erat fallere aliena indagatione nihil non furacissimè scrutantem regem. At

ubi primum miserrimo & quod merebatur, fato tyrannis occubuit: properabatur Baleazari statutum redeundi indicium, eoque accepto ille festinabat iteri. Et fortè Tyrum intravit, cùm dubia super futuro rege opinio universos adhuc cives confundebat. Nemine cunctante, pronisque omnium animis salutatus est rex. Diligebatur. Neque hoc parenti eius præter ullius desiderium extincto dabant, sed suæ ipsius lenitati modestiæque. Ipsa adeò calamitas, tam diu patienterque tolerata singularem ei afferebat splendorem, ac dignitatem quandam nulla ratione assequendam; egregiamque imperaturi indolem ita illustravit, ut nemo fuerit de futuris subditis, cuius aut venerationem desideraret, aut gratiam.

Ceterùm à Narbale conscripti fuere populi principes; seniores, inquam, qui rempublicam consulationibus, & sacerdotes, qui rem curabant magnæ Phœnicum Deæ. Hi pronis corporibus Baleazarem venerati, regem eum pronuntiari per præcones iubent. Acclamatur à populo; quoties? haud dixerim. Penetrabant sese voces gratulantium ad Astarbæam, quæ nunc in infimis palatii latebris cum prostibulo suo Ioazare latebat. Ex tot, tamque perditis hominibus, quorum operâ vivo Pygmalione utebatur, ne unus remanserat. Scelus namque sceleri infestum est, nec improbus se aut committit, aut submittit, nisi dolens improbo. Satis quippe perspiciunt scelesti depravatique animi, quam perversè, quam avarè ac crudeliter homines suo de furfure usuri essent regnandi licentiâ. Bonos verò ob ipsam spem futuræ mansuetudinis faciliùs tolerant. Paucissimi ergo fuere, qui

qui cum Astarbæa perstiterunt, iidemque immanissimorum scelerum eius ministri; ultima utique passuri.

Ventum ad arma, oppugnatumque palatium. Illi fracti conscientiam scelerum, omisso defendendi consilio, omnem operam impenderunt fugæ. Astarbæa servili habitu se ablatum ibat in confertam multitudinem populi. Sed à milite agnita, proditæque excipitur. Nec nullius operis fuit, ne discerperetur à furentibus, prohibere. Iamque raptare per platearum fordes cæperant. Sed à Narbale erepta est iratæ plebi. Tum Baleazaris quidem rogabat copiam; spes quippe erat, illecebris suis fore obcæcandum, & crediturum etiam, adesse, ut ex ipsa occulta quædam cognosceret. Annuente rege accessum, extemplò adfuit, ea formam suam suavitate modestiæque commendans, cui nec ira potuerit irasci. Acutissimè à laudationibus patheticæque blanda, quantum in deliciis fuisset genitori exponebat. Obtestabatur per cineres patrios, ne miseræ, ne afflictæ nollet misereri. Invocare deinde etiam Deos, quasi hos apertè coluisset: inundari amarissimo fletu: devolvi in genua. Post hæc autem diligentissimè anxieque monere cæpit, quidquid fidissimos quosque, charissimosque amicorum suspicioni regis odioque poterat obiicere. Ipse Narbal factæ coniurationis ab illa agebatur reus, tumultuumque adversus Pygmalionem, & sollicitati pro corona populi, hæredi filio detrahenda. Quid? quòd affirmabat etiam, Narbalem ipsi Baleazari adhuc puero venenum paravisse. Neque leviores in optimum quemque civem calumnias suggerebat, rata, paternam diffidentiam de suorum

rum fide metumque in filium transiisse. At ille muliebris & tantæ fallaciæ haud diutius patiens, interpellat fœminam; vocatque è militibus proximi, qui scelus tradidère custodiæ. Prudentissimi seniorum cognoscendis omnibus factis eius præpositi.

Horrendum dictu! compertum est, ipsam Pygmalioni venenum attulisse, ipsamque fauces regis pressisse. Series quædam inauditorum facinorum inter se cohærentium totius vitæ eius curriculum emetiebatur. Iamque decreturi erant mortis genus, quod atrocissima criminum apud Phœnices patiuntur, exustionem lento igne: cùm illa, fatis intelligens, se misericordiam planè consumpsisse; non mitiori, quàm Furiarum concitata rabie, venenum haurit, quod ad prævertendum, si quod ipsi statueretur, diuturnius supplicium continuò secum ferebat. Advertère, qui intuebantur, eam gravibus doloribus tangi. Levatum ibant. Illa per indignationem tacere, signis auxilium respuere. Deos, quos læsisset, memorabant. Illa nec pudore, nec pœnitentia (quæ decuissent ita scelestam) affici, sed quasi provocatura ex Astris Deos, feroci & contemnentis obtutu cœlum laceffere.

Furor & impietas emicabant ex vultu. Toties exitialis Helena, attritâs deletisque omnibus ornamentis, Hecuba potuisset videri. Oculi densa caligine offusi, fulminis quadam mobilitate lubrici, & atrociter intuentes: labia trementia, micantiâque ex crebro motu: os apertum, fœdòque modo & immaniter dehiscens: vultus exhaustus, aridus, ad horrorem & inconstanter tortus, color pallidus, & ex flavo livescens: artus omnes lethali
fri-

frigore adstricti. Videbatur aliquoties niti, ut reciperet spiritum; sed tum corpus aptabat in horribiliores eiulatus. Ad ultimum destituta vitâ formidosô spectaculô universos, qui intuebantur, complevit. Facinorosissimam umbram quis dubitet abreptam esse in loca tristia, ubi æternùm fatigabit crudeles Danaides pertusum dolium, rota Ixionem, fugiens aqua sitientissimè captantem Tantalum, lapis Sisyphum, rostrum semper esuritori vulturis Tityum?

Haud uspiam largius quàm à Baleazare, sublato hoc monstro Diis liberatoribus est litatum. Dehinc ipsum imperium auspiciatus à moribus paternæ avaritiæ recta obversis, satagebat commercium à quotidianis, quæ patiebatur, detrimentis revocare, pristinaeque integritati restituere. Gravissima pensanti Narbal aderat, quem agendi auctorem non ducem admittit, suæ ipsius rationi res singulas subiiciens. Singulorum quoque audit quantumlibet diversas sententias. Eligit, quam censet saluberrimam. Charus est populis. Præstant hi, quem regi debent, animum, inde præ paterna avaritia ex inique corrogatis opibus ditescenti. Nullam quippe domum repereris in tota Phœnicia, quæ vel leviter recusaret regiae necessitati sua perfundere. Atque ita, quæ eos possidere finit, certius, quàm quæ auferret, possidet. Vitæ suæ, ut extra periculum sit nihil opus est providere. In rutissimo regum præsidio, amore populi versatur. Inter subditos nullum est reperire, perinde qui habeat, ab isthoc Principe non regi, nolitque regium spiritum redimere suô. Ipse pariter, & cui dominatur, beatus populus est. Ex censu ne gra-

ventur subditi, identidem metuit; & isti, ne minorem æquò velint censum perficere. Eximias fortunas, quas comparavêre, ipso permittente tenent, easque nec in damnum civilis solertiæ, nec impotentem fiduciam. Laborant, negotiantur, maiorumque instituta constanter & cum religione colunt. Revixit Phœnicum, quæ summa fuit magnificentia, revixit gloria. Hanc sortem, hanc salutem utramque integerrimam regi suo & iuveni debent.

Narbal ipsi parendò imperat. Quodsi te nunc videret, Telemache, quo gaudio exciperet, quibus quantisque donis coleret! quam ipsi futurum fit volupe, te cum pompa, quæ natales tuos decet, cum celebritate reportare in patriam. Dii boni! qui, quam deposceret Narbal sibi, mihi permisistis operam; in Ithacam meum decernentes iter, ut in folio reponam Ulyssis filium, imperandi sapientiâ suis æquè, ac Balazar Tyriis, profuturum. Hucusque Adoamus.

Telemachus cum eventu rerum, quas ex Phœnice audierat, tum maximè luculentâ amicitia, quæ ab eo miserabili conditioni suæ indulgebatur, tenerrimè affectus, hominem peramanter amplectitur. Quærentique, quo casu venisset in Calypsus insulam: cœpit suum à Tyro discessum, itérque ad Cyprios exponere, & qua ratione sit redditus Mentori, qua profectus cum eo in Creram. Ludos deinde publicos ad eligendum pulso Idomeno regem institutos, iras Veneris, factumque exinde naufragium memorabat; quàm item à Calypso benignè excepti, ipsa verò qua æmulatione sit unam ex Nymphis averfata. Addidit denique Mentoris facinus, à quo, quia amabatur, hoc conspecto navigio præceptus datus esset in mare. Con-

Consumptis mutuo sermonibus Adoamus opiparum convivium exornavit. Adiecta omnia oblectamenta, quæ posses à Navarcho exigere, certiori lætitiæ argumento. Pueri ætate integra albisque vestibus inter epulas adstitere, pretiosissimis odoribus ex Oriente delibutas. Nautarum sedes aulædis cesserant, eosque interpolabat per intervalla Achitoas vocis & lyræ sonû, quem nec Deorum mensæ potuissent aspernari, & ipse Phœbus audire cum motu. Tritones & Nercides confluerant, ceteraque ex mari numina. Quin ex profundis cavernis pisces emersere, quos intuentium admirationi gignit pelagus, densam navigantibus coronam, mulcente cantu, affusuri. Frequentes erant ex Phœnicia iuvenes, eximia pulchritudine, velatque carbaso, quæ laudem detrahebat nivibus. Hi saltantes, aliquamdiu suis numeris, proximè Ægyptiacis, deinde Græcis aptavere pedes. Tubarum quoque usque & usque excitatus clangor ita incumbibat mari, ut ad remotissima etiam littora pertingeret. Nocturnum silentium, pelagus castigatum à fluctu, luna scintillans, & per aquarum diffusa planitiem, cærulea & paulò in opacum prona cæli facies largissimè internitentibus stellis, adjuvabat decus adornati de nocte spectaculi.

Telemachus, nec tarda indole, nec lenti animi juvenis, nihil non amabat deliciarum præsentium. At iisdem cum insolentia delectari non sustinuit. Trepidabat vel ad liberalissimas oblectationes, ex quo in Calypsus insula tanto cum rubore didicit, quàm facilè incalescat iuventus. Verebatur omnia; intuensque in Mentorem à vultu eius

ocu-

oculisque, quid de toto celebritatis huius apparatu sentiendum sibi, requirebat.

Hæc iuvenilis animi turbatione perspecta Mentor plurimum lætabatur. Fingebat tamen, eam ignorare, Tandem motus continentia iuvenis, cum familiari & mediocri risu: novi, inquit, quid timeas. Euge verò! time, sed intra modum. Si quis umquam alius, ego certè velim, ne expers voluptatum sis earum scilicet, quæ te nec impotentem faciant, nec segnem ad fortia. Oblectationibus opus, quæ lassitudinem eximant animo tuo, non potestatem tui & animum tibi. Lenes habe atque moderatas remissiones, quæ numquam te impellant brutis familiari impotentia. Post angustias tuas ærumnâsque utile nunc erit relaxandô confirmare animum. Da hoc Adoamo, ut, quæ offert ad lætitiâ, admittas. Euge Telemache! iucunditatem ingredi! gaude! faciles & ingenui sunt, qui instruuntur à prudentia. Hæc una dispensatrix est sinceræ voluptatis, eamque ita ordinat, ut, quibus iucundè afficimur & integra sint & diuturna. Hæc didicit læta feriis coniungere; ipsòque ex labore remedium trahit molestiæ, atque hinc novum laboris adminiculum. Præ se demum sine rubore fert, cùm opus est, lætitiâ.

Inter hæc extremâ verba lyram Mentor sumpsit, cœpitque fidibus canere eâ artis præstantiâ, ut tanto æmulo suas cum tristitia Achitoas poneret. Micabant incensi oculi, movebatur vultu præfens color, futura nota ægritudinis, & pudoris eius in omnes manifestum signum, nisi ab intuendo præfentes Mentoris artificium abduxisset. Trahebatur autem tum ab audientibus, quam parcissimè tenuissimèque

issiméque poterat, spiritum, ne vel particula divini concentus avidas aures præteriret; sollicitudo tantum & pæne metus erat, ne, votô brevior, iugularet audiendi desiderium. Quippe ipsa vox canentis non effeminata mollitudine, sed ad flexionem facilis, splendidâque sonô, auribus etiam minima quæque cum vigore admovebat.

Initium modulis laudes Iovis dedêre, qui utpote Deorum hominûmque rex atque pater cœlum unico capitis nuru terrâsque movet. Deinde natam ex eius cerebro Minervam seu sapientiam repræsentabat, quam conceptam intra se, effudit ad formandam docilitatem humani generis. Atque hæc quidem religionis capita tam pie modulabatur, & pathéticè, ut tota concio sibi videretur Olympum & in Olympo Iovem intueri, cuius ex oculis fulgor præ fulmineo perstringit. Narcissus porro argumentum fuit, suam ipsius formam tam perditè infaniens, ut æternus contemplator sui fontibus uteretur in speculum, misera doloris sui victima & mutatus in florem, cui nomen eius posteri indidêre. Finem denique cantui imposuit flebile Adonis fatum, quem dentes apri divellêre, amasia Venere revocandô animam eius multum sed nequicquam fatigata, eâmque numinis sui impotentiam amarissimè deplorante apud Superos.

Nemo tum audientium lacrimas in potestate habuit; ipsâsque lacrimis mirabilis se voluptas adiungebat. Finito cantu, Phœnices mutuò cum admiratione aspiciunt. Orpheus est, aiebat quidam. Hi ipsi numeri sunt, qui feritatem brutis, arbores sylvis, petras montibus dempsere; ab his incantatus Cerberus, interpellata Ixionis, Danaidûmque

dúmque supplicia; hís ferreus ad preces emollitus Pluto dimisit ex inferis Eurydicen. Erras exclamat alius; Apolline patre hic genitus & linus est. Minimè verò, tertius sermoni impropert, Apollinem ipsum aspicitis. Neque Telemachus (tum quippe primum rescivit has artes Mentorem & tam peritè nôsse) minus obstupuit. Interea ipse Achitoas largiorem moram nactus reprimendæ ægritudinis novum Musicum laudibus usque non leviter cœpit aspergere. Sed pudore concepto peragere non poterat totam officiosæ commendationis sententiam. Mentor videns, animò & voce eum hæsitare, verbum quasi ad interloquendum illi exorsus est, admensisque cum fide laudibus, quibus meritum hominis poterat sine adulationis nota persequi, conabatur fomentum vulneratæ æmulationi, etsi nequicquam, adhibere. Vidit enim Achitoas, non vocis duntaxat lenitate, verùm modestia quoque & hac amplius Mentorem sibi antestare.

Interim Telemachus: memini, Adoame, inquit, te, posteaquam ab Ægyptiis profecti sumus, de itinere quodam dixisse, quod in Baticam susceperis. Herclè ea de gente referunt portenta, quæ fidem non videntur posse admittere. Gratiam mihi feceris, verane audiverim, si facis, ex te ut intelligam. Adoamus, petere eum, respondit, quod gratum & volupe sibi esset. Nam & celebritate nominis insignem regionem, nec sanè indignam esse ipsius, quo nova prosequeretur studiò: famæ demum suæ quantumcumque magnæ vastæque antecedere. Postea hunc sermonem ingressus est.

Fer-

Fertili solo flumen manat. Bætin appellant. Mitissimus aër incumbit, numquam non oculorum prospectum transmittens. Nomen regioni ex amne impositum. Ipse Oceanum subit ferè Herculis columnas alluente ostio haud procul extra oram, ubi maria quondam ruptis aggeribus Tharsin ab Africa magna avulsère. Crederes in eo regno superesse, quæ æratem auream beavit iucunditas. Ipsa hyems leviter calet, nihil umquam rigoris afflante Borea. Quod alioquin æstate corporibus difficillimum, hìc molliore Zephyrorum aura opportunè mitigatur; quippe subeuntes meridie, calorem solis, ne vapores trahat, premunt. Itaque annum una veris autumnique salubritas mutatis fideliter vicibus quasi cohærentium percurrit. Valles & perpetua planitie campi messem semel iterùmque in annos singulos sufficiunt. Lauri cum malis punicis asminisque viarum utrinque limites describunt. In montibus passim fusi greges ovium tenuissimâ lanâ, quæ in omnes gentes, quarum ad me nomen pervenit, avehitur. Aurum argentùmque non uno loco fodi potest. Ceterùm utrumque parvò æstimant incolæ. Imò ex simplicitate sua beati ne divitiis quidem putant accensendum; adeò ipsis omnia viluerunt, quibus simpliciter opus non habet humana necessitas.

Auri argentique non alium ac ferri usum, ut ad vomeres, his gentibus viderunt esse nostri, cum ad eas primò excurrere. Domi enim se continentes, nullòque exteris iuncti commercio, ære etiam excudendo abstinebant. Pecori aut agris plerique vacant; pauci operibus, quæ ingenio manùque perficiuntur, eas solummodo artes & opificia permittente

mittente

mittente usu, quarum omnino eget humana conditio. Quamquam autem viri maximam partem agris pecudeque curanda occupantur: artes tamen opificiâque, queis ad simplicem ac sobriam vivendi rationem opus habent, haudquaquam prætermittunt.

Lanam in fila deducunt feminae, pannosque inde tenues & miri candoris texunt. Panes eadem parant, cibariâque nullo ferè negotio, quoniam aut fructibus aut lacte vescuntur incolae. Ovium pelibus suas, coniugumque ac liberorum tibias plantasque leviter muniunt. Tabernacula construunt alia ceratis tegumentis animalium, alia ex detractis arborum corticibus. Eadem domesticorum vestes & faciunt & lavant. Supellex ad admirationem intuentium munda. Ceterum vestes nulla arte & rudes gerunt. Mitissimo namque regionis ingenio molliorem duntaxat eumque levissimum pannum obiciunt, quem nulla sectione concinnatum in oblongos sinus ad honestatem arbitrariâ formâ circumducunt corpori.

Viri præter ea, quae ad agriculturam pecudumque custodiam pertinent, nihil ex artium operantur institutis. Excipe modum ferrò, lignisque utendi cum fructu; quamquam ex ferro soli ruri colendo idonea cudent. Quidquid architectonica aut invenit aut ponit manu, cum domos non extruant, accensent supervacaneis. Animum plus æquo affigi terrae asserunt factis habitationibus, quae supersint extinctis dominis. Sufficere, non esse expositum coeli incomodis. Ceteras autem artes, quibus apud Græcos, Ægyptios aliosque, qui idoneis moribus institutisque reguntur, populos grandis

grandi honor est, velut mollitudinis vanitatisque incrementa damnant.

Si de illis gentibus mentionem quis inferat, quæ scienter parant ædificia splendida, lautas ex auro argentoque supellectiles, vestes acu insertisque gemmis pictas, geniales in suffimenta odores, cupedias, instrumentaque numerofo concentu: earum luxum hunc suggillant in modum: Istarum gentium fortunam quis miserabitur satis, quæ, ne non depraventur, improbo etiam labore pertinacique ad id industria incumbunt? hæc ipsa abundantia inutilium rerum emollit animum, obtunditque; supplicium profectò iis, qui ex illa se etiam felices existimant: minùs affluentes allicit, & ut affluant, provocat ad universa iniquitatis facinora. Et erit, qui corrupendis moribus natam pestem, copiam, laudet? Agite! ampliùsne quàm nos valent vigèntque hi delicatuli? vivuntne ætatem largiorem? num eos inter pulchriùs convenit? num pacificatoribus egent minùs? nihilne & minus ferviunt, turbantur, affliguntur? alia sane nobis & verè persuasimus; æmulationibus scilicet eos ardere; arrodi fordida, ignobili, mutuaque invidia; agitari perpetuis turbis ob ambitionem, & metus nutrientem avaritiam: imò ne idoneos quidem esse capiendæ simplici & sinceræ voluptati, quos inanissimæ tot rerum necessitati, velut unico humanæ felicitatis subsidio, stolidam credulitatem mancipavit.

Ecce tibi sanissimos (Adoamus pergit) istorum hominum sensus, quos non aliunde, atque ex diligenti solius omnemque apparatus averfantis naturæ cognitione hauserunt. Oderunt porro mores

L

nostros

nostros elegantulos, & scitulos. Neque tamen, qua mores eorum publici diriguntur, horrida aut inculta est, sed perfacilis perque amœna simplicitas. Unà vivunt non divisim inter se agris. Principi familiæ domus singulæ obtemperant observantiâ, quæ regem decet. Is filiorum, is nepotum delicta ex patrio instituto, adhibitôque reliquorum de familia consilio punit; quamquam perrara, & ferme peregrina sint animadversionis exempla in gente hac ante alias felici. Nam & mörum & fidei integritas, & imperatis sponte obvia industria, horrôrque improba audendi, quod in ea castigetur, nihil admittit. Astræa, quam ad cœlos aiunt fugâ transisse, ex his, me hercle, nondum terris cessit. Tribunalia non habent. Suum cuique tribunal & æquissimus iudex conscientia. Bona omnia communia seu omnium sunt. Ex iis, quæ arbores agrique gignunt, ex lacte, quæ gregibus subducitur, eam sibi opulentiam parant, ut ad vitam sobriam moderatâque, quam vivunt, commodè instituendam opus haud sit agrum in portiones describi. In regione hac usque ad eò felici & splendida, quoniam instabiles sunt nec affixæ domibus familiæ, consumpto victu pabulôque unius loci in alium tabernacula sua transportant. Itaque non committuntur avaritiâ commodorum: non laxatur, quo coeunt, vinculum fraternæ amicitiae: voluntatum verissima coniunctio numquam dissolvitur. Atquæ hæc animorum consensio, hæc ab alieno iugo immunitas adhuc diligentiam carenti inutilibus divitiis, vanisque voluptatibus stetit.

Omnès uti liberi, ita etiam conditione æquales sunt. Nullumque inter eos discrimen, nisi quod
vel

vel ex seniorum experientia nascitur, vel ex iuniorum quorundam præter morem maturescente sapientia, qui tum senili virtuti comparantur. Vis, dolus, perfidia, controversiæ, lites, pugnae, quàm ceteris pestifera, tam his fortunatis populis ignota sunt nomina. Agnino cruore hæc tellus vix unquam tepet; tantum abest, ut humanum biberit vel semel. Cerneret obstupesceri pacis studiosum hunc populum, cum, quæ incidere alibi, calamitosa prælia, festinatæ expugnationes, excidiaque regnorum ac provinciarum referuntur ab advenis. Ergone, inquiunt, mortalitate non aliàs fati multati sunt homines, etiamsi mortem sibi per mutuas cædes non properant? vitæ humanæ tantilla sunt spatia, ea tamen quis non credat his pugnantibus displicere ex mora? ideòne vivunt, ut communibus ærumnis unà contabescant mutui furoris victimæ?

Sed neque illud monstro carere putant, esse maximo numero, qui victores gentium, & egregios bello viros admiratione & honoribus prosequantur. Vah stolidam vecordiam (ita stomachantur) aucupari felicitatem suam ex aliorum imperio, dum imperare vel uni, salvâ prudentiâ & incolumi iustitiâ, tam arduum est, & obnoxium infinitis molestiis! quis igitur ex coacta subditorum obedientia tripudiet? viri prudentis est, perinde & iuxta habere, seu dociles populos iugique patientes à Diis regendos acceperit, seu qui patris bonitatem, & pastoris vigilantiam ab eo efflagitant. At domitores gentium, & uno armorum suffragio reges, id demum agunt, ut ob putidum & aberrantis duntaxat cerebri æstimatione insignem

titulum despotici imperii in amplexus iniquissimæ fortis sese coniiciant. Flagellum est, qui domat regna, ab iratis generi humano Superis medio indignationis ardore immissum in sceleratas terras ad subvertenda imperia, ad protrahendum quoquoersus terrorem, desperationem & miseriam, ad imperanda tot iuga, quot in orbe sunt homines præter aliena imperia. Desuturum ergo putat, unde ipse eximius sit, nisi violentia, nefas, ambitio, rapinæ, tyrannis illata in circumfusos populos famæ scaturigines fodiat? numquam, numquam nisi pro libertate molienda bella. Felix, qui nec servitutem patitur, nec ut patiantur alii, ambitione incitatur. Illi autem bellatores, idola ceteroquin gloriæ, torrentes sunt superfusi ripis, qui ingentem sane gerunt speciem, at vastissimo fertilitatis, quam modico humore iuvare poterant, detrimento.

Telemachus hac Adoami de Bœtica descriptione mirum in modum lætatus, postea ad diversa largioribus interrogatiunculis excurrit. Inter alia percontabatur, num quis ea in regione vini usus? hoc genere potus (Adoamus respondit) quoniam non conficiunt ipsi, omnino se prohibent. Neque in causa uvarum defectus; quippe præstantissimas, si quæ alia, hæc gignit regio. Ceterum fami, non siti pellendæ eas cum fructibus reliquis adhibent. Contra quod uvis exprimitur, velut perniciosum humano generi, damnant: vinumque, inquit, veneni genus & furoris quoddam ac vesaniæ semen est, non mortiferum, non vitam, sed naturam eripiens homini; quippe quem parem belluæ facit. Nec humano corpori vino opus, nec robori. Imò
vinq-

vinolentorum assiduè tam periclitatur valetudo, quam probitas.

Post hæc iuvenis: scire velim, quæ ibidem leges positæ ad rem uxoriam adiicientibus animum? Et Adoamus: cum una tantùm & in indissolubilem vitæ torique societatem conveniunt. Viri in servata, quam uxoribus debent, fide summam laudis non minùs ac aliæ nationes, uxorum decus in odio alieni amoris ponunt. Numquam alia gens studiosior honestatis & pudicitia fuit. Feminarum ut eximia est perque amœna species, ita par simplicitas, & otium semper perosa modestia. Coniugia eorum nec molesta turbis, nec sterilia sunt, & exempta vituperationis ignominia. Putares utrumque coniugem unam duntaxat animam in diversis corporibus habere. Onus domesticæ curæ divisum est, viro curante, quæ agenda foris, uxore ad domestica incumbente intra ædium ambitum: adeoque socia laborum est, & quasi nata mariti solatio; quippe cuius fiduciam sibi conciliat, & maiorem ex probitate, quàm pulchritudine amorem consequitur. Itaque non ferius quàm utriusque vita cessat vitæ socialis iucunditas. De cetero tota natio quoniam nec immoderate vivit nec improbe, neque præter honestatem: prolixius commodèque valet; nec desiderat, qui integrum iam seculum vixere, aut vicesimum etiam annum seculo adicere vegeti adhuc, & præter senilem torporem impigri.

His auditis: superest, Telemachus subiungit, ut qua ratione bella & armatas cum finitimis inimicitias evitent, intelligam. Tum Adoamus: hoc regnum, inquit, alia ex parte freto, alia, qua Sep-

tentrionem respicit, altero munimento, præaltis montibus ab adiacentium populorum confiniis dirimitur. Deinde verò ob virtutem aliis gentibus in honore sunt. Ab accolis certè hi ipsi sæpenumero iam postulati sunt iudices pertinaciorum controversiarum, terràsque urbes, de quibus disceptabatur, acceperunt tuendas. Extra suspicionem scilicet versatur hæc provida natio, utpote nemini hucusque armis infesta. Rifum non tenet, si qui de Regibus meminerunt, qui ortas de regnorum suorum finibus lites profligare non possint. Ergone illud denique timendum est, inquit, ne mortalibus terræ deficiant, cùm tamen numquam valeat tantum de illis occupare humana aviditas, ut incultæ sterilitati sua non relinquenda sit portio. Quodsi autem superat adhuc, quod nemo quispiam vendicavit sibi ad agrestem cultum, absit, ut suscipiamus vel defensionis consilium, si in agros quis nostros inolet ex finitimis. Arrogantiam præterea, & fastum nemo est, qui ex illis populis non oderit. Execrantur perfidiam; nec desiderium admittunt propagandorum suorum finium. Unde vicini cùm nec habeant, quod ab illis formident, nec habere se putent, quod propulsare metum non debeat; religioni ducunt, eorum quieti obstrepere. Insuper Baticam suam potiùs, aut cum morte vitam mutarent, quàm cum mancipatu libertatem. Adeoque tam arduum est eos iugo submittere, quàm arduum illis vel adversam alienæ libertati voluntatem pati. Ecce subsidia, quibus integritatem perpetuæ cum proximis suis concordie conciliant.

Narrandi finem Adoamus demum faciebat cum
modo

modo negotiandi, quo Phœnices utuntur in Bætica. Mirabantur, aiebat, hi populi, cùm aspicerent è locis tam longinquis & advectos marî. Permissum nobis urbem ponere in insula, quam Cades appellant; benignèque acceptis impertiebantur ex omnibus, quæ possidebant, recusatô etiam, quod offerebamus, pretiô; polliciti insuper, omnem lanam, quam domestico ufui detrahere pateretur necessitas, ultro tradituros. Et verò eius tum ingentem copiam nobis misère dono; gens tam benefici ingenii, ut gestiant superflua peregrinis dispertiri.

Ceterùm loca, in quibus metallum gignitur, cùm nihil inde accerferent commodi, nobis haud gravabantur cedere. Leviter delirare homines putabant, qui labore improbo multaque vexatione in terræ visceribus scrutarentur, ex quo nec possent beatè, nec cum simplicitatis iucunditate vivere. Parcite telluris visceribus (erat hæc eorum non inurbana cavillatio) satis vobis sit, tergum eius vomeribus scindere. Sic verè nutricem habebitis: sic labori vestro reddet felix hæc mater, metalla quod superat: neque enim metalla investigat humana cupiditas, nisi ut vitæ mercetur subsidia.

Invitati plerumque sunt à nobis ad rem nauticam, oblatâ erudiendi ad eam operâ. Monebamus etiam, paterentur iuventutem suam huius artis perdiscendæ causâ in Phœniciam duci. Quid illi? docerentur sanè, inquebant, & ipsi indigere iis rebus, quibus consuetudo vestra nullo iam pacto carere potest. Hæc respicerent, ad hæc unicè anhelarent neglecta virtute, ut, quæ cupiunt, consequerentur iniquâ & malignâ industriâ; haud

abfimiles homini, qui, quamquam firmis cruribus ac difficillimo fuffecturis itineri, ipfa defuetudine eundi paulatim opus habet ægrotantium more aliena opera, cum concedendum est aliquò, uti. Atque ipsam quidem nauticam videntur non odiffe. Admirantur industriam, & quo à nobis exercetur, ingenium. Eam ipsam tamen parùm felicem existimant esse. Rationem hanc ineunt: necessaria vivendi auxilia si sufficiat domesticum solum, quid excurritur ad extraneum? aut ultra exigendum, quàm naturæ sit satis? digna hercle naufragiò cupiditas, quæ ut mercantium avaritiam exfatiet, ut libidinem nutriat ceterorum mortalium, exitium inter terrores pelagi confectatur.

Hac Adoami narratione magnopere delectabatur Telemachus. Exultabat, adhuc dum esse, quos ad tantam sapientiam & felicitatem magisterium sanæ rationis evexisset. Quàm longè & quam bellè, inquit, id hominum genus abit à moribus frigidis & plenis ambitione illarum gentium, quibus summam alioquin laudem sapientiæ deferimus! sed tanta iam est animorum nostrorum ex infelici consuetudine perversitas, ut nobis persuaderi alia patiamur omnia, quàm non fallere, quæ de hac naturali simplicitate referuntur. Nobis illorum quidem mores festivum acroama sunt; at illis, puto, vita nostra videtur nocturnæ speciei portentum.

TELEMACHUS.

LIBER IX.

DUm his sermonibus implicantur, soporis & ad medium provectæ noctis obliti; immisso
ab